



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 85a/16/I

B E A T I S S I M E P A T E R ,

Aloisius Conti, Archiepiscopus Metropolita Firmanus, cum suo clero et christifidelibus suae pastorali curae commissis, sensus filialis devotionis erga Sanctitatem Tuam pandens, reverenter exponit ad Cluentinum Sanctuarium Dioecesanum, sub tit. S. Mariae Apparentis, Compatronae Cluenti, populus Dei, filiali amore et fiducia erga S. Deiparam Virginem motus, frequentissimus confluit, intercessionem eiusdem Beatissimae Virginis imploraturus et ad sacramenta Reconciliationis et Sanctissimae Eucharistiae accessurus. Quia vertente anno sollemnitas titularis in diem dominicam incidit, peculiares sacrae functiones et varia spiritualia incepta in Dei Matris honorem a die XXXI Maii usque ad diem V Iunii in praedicto Sanctuario peragentur. Ut autem per has quoque celebrationes salutaris devotio erga Dei Matrem in fidelibus magis augeatur et ubiores usque fructus gratiae supernaturalis hauriantur, Exc.mus Orator Indulgentiarum donum fiducialiter implorat.

Et Deus, etc.

Die XXIV Maii MMXVI

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, vi facultatum sibi a Sanctissimo Patre Francisco tributarum, de caelestibus Ecclesiae thesauris plenariam benigne concedit Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint si, unito corde cum spiritualibus finibus Anni Misericordiae Sancti, Sanctuarium S. Mariae Apparentis in forma peregrinationis inviserint et ibi alicui sacrae interfuerint celebrationi, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque B. Mariae Virginis.

Senes, infirmi, omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, plenariam consequi poterunt Indulgentiam, dummodo, animo voto sese iis sociantes, qui piam egerint visitationem, concepta detestatione cuiusque peccati, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, coram quavis imagine caelestis Compatronae, preces ut supra recitaverint, doloribus vel propriae vitae incommodis misericordi Deo per Mariam oblati.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixerat ut Cluentini presbyteri, prompto generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti pro hac vice valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Maurus Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior

Christophorus Nykiel

Christophorus Nykiel
Regens